

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Georg Radow

**Programma In Solennitate Natalitia Dei Humanissimi Et Hominis Divinissimi Jesu Christi Orbis Redemptoris; ab Universitatis Rostochiensis Rectore Georgio Radovio, I.U.D. ac Prof. Publ. P.P. sub Sigillo Rectoratus**

Rostochi[i]: Kilius, 1667

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735663505>

Druck    Freier  Zugang



5  
110.

PROGRAMMA  
In  
Solennitate Natalitiâ  
DEI HUMANISSIMI ET HO-  
MINIS DIVINISSIMI  
**JESU CHRISTI**

Orbis Redemtoris;

ab

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

RECTORE

**GEORGIO RADOVIO, J.U.D.**

ac Prof. Publ.

*P.P. sub Sigillo Rectoratus.*



**ROSTOCHI,**

Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogtaphi,  
Anno M DC LXVII.

**Q**ui prisco ævo, veterique adeò fuere aut vixere fædere, Patres, Prophetæ, Regesque, ii verò tenerimo & Majoribus & ipsissimè promissi MESSIAE tenebantur desiderio, spequè tantum non marcescentes præstolabantur adventurū, quem suo adfore tempore certissimi erant; nos verò venisse jamdudum, non tantum scimus, verùm etiam impensè gaudemus. Et profecto, si rem aliquantò curatiū pensites, fateri utiq; habeas, non injuriā animos in eum præcipue directos intentosquè fuisse, qui, divinarum vi promissionum, restituturus, sine dubio, credebatur, quæcunq; ADAMUS & per fraudem malitiamq; SATANÆ, & per suammet culpam turpissimè petulantissimequè perdiderat. Sanè enim quod illuni atquè intempestâ nocte peregrinantibus, & per aspera viarum, ipsa etiam sæpenumerò montium juga incedentibus, venire usushevit, uti amoenæ lucis, quæ difficultati iteneris medeatur, desiderio nimiope rurgeantur, id his quoque, qui optimè gnari conditionis suæ, nequè nescii essent, quām periculosam in hac mortalitate ac salebrosam ambularent viam, quantisque præterea curis atquè laboribus attinerentur, contigisse; ipsosquè adeò etiam clarissimum illum justitiæ Solem, qui fulgore suo, quicquid tenebris mersum, disjecturus omne, quicquid umbrosum, nitidissimâ perfecissimâquè luce collistraturus foret, excentis cotidiè votis expetiisse, noctu verò etiā, cum maximo animorum prolubio, somniavisse, nemo temerè mirabitur. Ceterum hic prodigiosum planè quid advertere liceat. Ille qui tot seculis diversimodè præfiguratus atquè promissus, tamquè operosè efflagitatus fuerat, uti ni accessum maturaret, vel ipsi cœlo vim adlaturos, veterique possessione suâ LIBERATO REM exturbaturos, quorum caussa agebarur, existimares, ille, inquam, ubi præsentem sese stitit tandem, à plerisque ignoratur, à reliquis contemnitur, purgamentique habetur

betur vicem; non nisi à paucis, quos sibi reliquias DOMINUS servaverat, agnoscitur. Nempè jam Synagoga judaica animam agebat, eoquè processerat inscitia ac dementiae usque, uti nec optaret, nec exspectaret SERVATOREM, qui, secundum oracula prophetarum, iniquitatem aboleret, & perennaturam justitiam adduceret; sperabatur autem, qui validâ potentiq; manu avitâ Regni dignitatē vindicaret, qui certorū potentia frangeret, & Romanos, quorū jam jugo atq; servitio impliearentur, sibi vicissim servire cogeret. Quñ è converso in pejus indies prolapsæ res patriæ, & ruinosum imperium, & excussum ferè è manibus SCEPTRUM argumento miserit esse debuisse, in procinctu stare illum, qui populo suo luculentiorē libertatē, quam quæ ab hominibus dari quiret, regnumq; longè eo, quod hactenus possederant, eminentius recuperaret. Extat in hanc sententiam oraculū, quo de adventu MASCIAH, veri REGIS, nullum est omnino in veteri codice luculentius. Auctorem habens maximum, & in ipso vita mortisq; confinio constitutum VATEM JACOBUM; consignatumq; Gen. XLIX, 10. De quo in hodiernâ solennitate, sive fari, sive commentari non nihil, lubido est. Et primò quidem, inibi וְיִסּוּר שָׁבֵט שילָה promiseonem & durationem; secundò verò adventum & manifestationem VATES complectitur. Illa est in verbis לְאַתְּ יִסּוּר שָׁבֵט מִיהוֹרֶן NON RECEDET SCEPTRUM DE JUDA. Ubi non est profecto, quod vocula exprimentia significatione nimioperè defatigemur. Enimverò de desertione alicujus rei usurpatur in hâc quidem personâ semper: videre in eam rem est locos Deut. XVII, 17. II. Sam. VII, 15. II. Reg. IV, 8. & 10. Prov. IX, 4. it. XXII, 6. estquē ita: recedere ab eo, cui alias adesse quid aut poterat, aut debebat. Jam igitur eo ipso, dum non auferendum dicitur שָׁבֵט, satis promittitur, Tribui JUDÆ competitorum, inq; eâ inventum iri. Ceferum, quid sit illud, quod ab eâdem Tribu non recessurum ait VATES, adeòq; quid per שָׁבֵט intellectum idem ipse velit, maximâ hactenus

haec tenus contentionem curatum inquisitumq; suit. Celeberrima est sententia; per **תְּכַשֵּׁשׁ** signari principatum & dignitatem, quam JUDÆ Tribus præ reliquis habitura sit; quam tamen ipsam modis non unis exponi videas. Sunt enim qui planè Regiam intelligent, quam in istâ Tribu reperire sit, usq; dum MASCHIAH venerit; quiq; adeò arbitrentur, post etiam captivitatem Babyl. qui præ ceteris in eâ ipsâ eminerent, atq; dominarentur, ex ipsamet oriundos fuisse. Quin in ipsâ illâ captivitate durasse Synedrium, in quo supremus, **נָשָׁר** dictus, ex Tribu semper JUDA, ad usq; CHRISTUM, prodierit. Sed enim longè id audacius adsertum est, quâm ut probari fulciriq; commode possit. Enimvero & durante captivitate; REMPUBL. judaicam, quâ de heic omnino sermonem VATI esse, omnino arbitramur, recto adhuc stetisse talo, & post eandem vel eminuisse. Imperatores ex hac solâ Tribu, vel caput Synedrii ex eâdem semper fuisse, id verò tûm apodictice demum firmabitur, quùm locusta pariet Lucam Bovem. Sicut enim ante Davidem Mosche Levites, Josua, Ephraimites, & ex judicibus unus atq; alter; Saul tandem Benjaminites, imperitarunt; ita Regio Davidis per captivitatem sublato imperio, qui Reges & REMPUBL. judaicam inquirere satagit, frustra ab omni est parte, lateremq; layat. Poterant quidem Iudei eâ, de quâ toties dictum est, captivitae, tranquillitate, quadam gaudere suâ, quam hodiernum aliquibus in locis satis eximiam tenent; sed REMPUBL. tamen eorundem, quidquid hujus fuerit, non demonstrat. Quam profectò extra suam terram, nec habuerunt, nec habituri sunt unquam. Porro reperire aliam adhuc est sententiam, quæ per **תְּכַשֵּׁשׁ** significatum id omnino velit ipsum, quod adeò à Tribu JUDA recessurum sit nunquam, utine momento abesse ab eadem debuerit, potueritvè. Hoc igitur innui, à JUDA non abituram VIRGAM TRIBULEM; h. e. non desitaram esse tribum peculiarem, à reliquis non distinctam modò, sed &, ratione Majorum, easdem supergressam. Notare, enim **תְּכַשֵּׁשׁ** frequentissimè in Sacris Tribum, notius esse longè quam

quam uti probari justo indigeat prolixius. Sed & tertio inve-  
nias, qui per וָבָשׂ virginam percutientem & affigentem, signari  
ajant, quemadmodum ea vox non omnino nullis Scriptura-  
rum locis accipiatur. Ceterum hæc jocularis est & ineptissima  
sententia, si huic quidem textui accommodetur. Neque enim  
percussiones afflictionesque habere ibi temerè locum pote-  
runt, ubi mera sunt prosperitatum fortunarumque præ-  
sagia. Aut onerari tristibus ea minimè existimanda est Tri-  
bus, quam non nisi eximiis benedictionibus senex parens pro-  
sequitur. Nos in arduo negocio medium ingressuri viam, id  
in vaticinio proponi, aut per וָבָשׂ significari arbitramur : JU-  
DÆ Tribum, illam, quæ semel jam indè à Davidis atque SA-  
LOMONIS temporibus (ad ipsa enim potissimum respe-  
ctari opinamur) eidem collata, inque quâ solidissimè funda-  
ta, auctoritatem dominique judaici eminentiam ab omni parte  
non deperdituram, usque dum MASCHIAH venerit. Ipsi pro  
festo iudæi, qui eruditione & dignitate quadam supereminent,  
nisi de potestate atque imperio acceperunt. Pro hac enim  
est sententiâ triplex Targum ; sunt Hæbrei veteres Talmudi-  
ci ; est codex Sanhedrin ; prout recentiores Kimchi, R. Salomon  
Aben Esra &c. Est itaq; quasi diceret VATES : quanquam re-  
liquæ Tribus diu ante MESSIÆ adventum in servitutem nun-  
quam terminandam abducendæ sint, & Regnum atque Res-  
pub. eorundem penitus evertenda, non tamen à Tribu JU-  
DA, alteroq; populo, qui ei adglutinabitur, Gentisq; Judaice  
nomen ab eodem recipiet, remotum iri SCEPTRUM, i.e. Im-  
perii (uti expositum) Majestatem. Conferri omnino meretur  
locus Zach. X. 11 tanquam eximiè in rem præsentem (cui  
mirè est illustrandæ) facturus. Ut adeò ex hac inter-  
pretatione atque sententiâ sequatur, ex quo tempore SCE-  
PTRI jus atque eminentia semel esse Judæorum cæperit, man-  
fisse eorundem, ad definitos usque MESSIÆ dies, et si muta-  
tus interdum Reip. sit status, ac penes Optimates modò

Ponti,

MONOGRAM

Pontificesq; modò penes Reges Principesq; summa fuerit Imperii. Nimis enim ineptire certum est, qui in arctum hic desiliant, & nominis hujus honorem haud pertinere, nisi ad REGES, autument. Sanè enim, quicunq; populus suā quadam Republ. suisq; legibus utitur, is recte gloriari de imperio, deq; SCEPTRO potest. Sed neq; illud quidem nostra interesse arbitramur, quā de Gente aut Tribu fuerint, qui res judaicas moderati sint rexerintq; Etsi enim per annos benē multos Regnum tenuerint *Levity Hasmonaei*, fuit tamen nihilominus Respubl. Judæi populi. NERONI Cæsati ab sapientissimo Magistro SENECA dictum: *Non Rempubl. Principis, sed Principem esse Reipubl.* Neq; profecto alia fuit sententia ULPIANI JCTI. Is enim Majestatis crimen esse id demūm ait, *quod adversus populum Romanum, vel adversus securitatem ejus commititur.* l. i. §. 1. ff. ad legem Jul. Majest. Utique iis vixit temporibus ULPIANUS, quibus nec jussus amplius, nec suffragia populi essent; sed imperium atq; rerum summam Cæsares tenerent: & tamen, qui curatissimè definire cuncta adsolet, *Majestatem esse Populi* ait. Ceterū progrediamur, tempus est. Additur in oraculo τῷ σεβτῷ etiam פְּרָנָס. Qui quis sit, ex locorum Scripturæ, Num. scilicet XX, 12. Deut. XXXIII, 21. Esai. XXXIII, 22. Ps. CHX, 9. collatione liquebit. Constatibq; adeò פְּרָנָס illum dici, qui legū lanciat auctoritatem, sartam eandē tectamq; couservet, custos sit tabularum, vigorem earundem urgent, iis- quæ tūm promulgandis, tūm declarandis, tūm verò tuendis et iam, omnem laborem operamq; impendat. JUDÆ verò Tribui id præ reliquis concessum, quippè in quā eximum jugiter extiterit Legum tutandarum studium, in ipsa quoq; Babyl. non extinctum captivitate, si habenda fides est iis, qui utiq; αὐχυγλωτάροις inibi viguisse commémorant. Quā de re præclarè eruditissimèq; more suo, dissertantem videtur licebit Casaub. Exercit. Baron. i. Num. 4. p. 14. Sed enim verò quomodò ipse ille פְּרָנָס dicitur non recessurus מִבֵּין רַגְלֵינוּ, ē mediopedum ejus, non omnium eadem est sententia. Sunt qui velint οὐπόνος Νέον esse, honestam orationem

orationem, quā res obscaena ceteroqui decorè exprimatur, quo  
genere dicendi alibi quoquè Scriptura S. utatur. Sed non est ad  
palatum nostrū quidem interpretatio. Sequimur potius senten-  
tiam eorum, qui indicari rentur, Legislatoribus, juris æquique  
defensoribus & Professoribus non caritaram hanc Tribum, non  
defuturos eos ē medio pedum ejus, in eā versaturos, semperq; in-  
veniendos, uti REIP. judaicæ inyigilent, usq; dum veniat SCHI-  
LOH. De quo ipso tanquam alterā, & principe quidem oraculi  
parte, compendio jam porrò sedet agere sententia. Sanè vel ipsos  
inter judæos oppidò reperire sit paucos, qui per שילוח (quomo-  
docunq; vocabulum interpreteris, aut undecunq; derives) MES-  
SIAM non intelligant. In paraphrasi Onkelosi exponitur MES-  
SIAS, cuius sit regnum: In Jonathanis, REX MESSIAS: In Jero-  
solymitana, itidem REX MESSIAS. His paraphrastis, præter Mo-  
sen & Prophetas, alios antiquitate vel auctoritate excellentiores  
Scriptores judæi nō habent. Consentunt deīn eximii quiq; Rab-  
bini alii, Bechayi, Raſchi, Kimchi, Codex Sanbedrin &c. Quūm itaq;  
complura ante secula imperium omiae à JUDA ablatum sit, jam  
pridem MESSIAM venisse necesse est. Enim verò prædictit &  
promittit sanctissimus Patriarcha, venturum ante SCHILOH,  
quām auferatur SCEPTRUM, atque adeò usq; ad MESSIAM  
judæis superstitionem sore REMP. Ceterū ablatum verè est  
imperium, & eversa RESP. & abolita omnis penitus judæorum  
potestas atq; jurisdictio, anno demum sexto & trigesimo, post-  
quam SCHILOH, terris his relictis, in cœlos jam ad Patrem su-  
um adscenderat. Lapsi itaq; inde eb excidio huc sunt usq;  
anni sexcenti & mille; spesq; vel ulla restitutionis futuræ promis-  
sio omnino decollavit. Nisi fors principatum, quo in Bagdad vel  
Babyloniam hodienum judæi potiantur, adeoque quendam Exu-  
lum principem ראה גרא dictum, admissuri simus. De quo uti-  
què multa magnisicè pomposèq; adfert in itinerario Iude-  
lensis Benjamin, Abraham, Zacuth in jnebasin. Nobis certè  
inter nugas meritò, anilesq; inter fabulas, vel ipsa inter deliria,  
quicquid

quicquid ejus fuerit, recensetur. Figmento cetero qui refellen-  
do præclaram operam impedit summus inq; istis studiis exer-  
citatissimus VIR, *Constantinus L. Empereur*, præfat. in *Benjam.* Qui  
utiq; h̄c lectitari considerariq; merebitur. Nos finire non ex  
oraculi quidem, quod tractamus, dignitate, sed ex ipsâ pagel-  
larum jubemur angustiâ. Abs vobis verò, CIVES ACADEMI-  
CI, STUDIOSI præcipue JUVENES, quid cùm pùblica tem-  
porum calamitas, tûm sanctissima FESTI hujus solennitas exi-  
gat, nec ignoratis, nec, ut nostra quidem de vobis spes est, negli-  
getis. Tantò autem majori diligentia & Iubentiâ in iis eritis,  
quantò magis abs nobis probari intelligitis. MAGNUM EST  
PIETATIS MYSTERIUM: DEUS CONSPICUUS FACTUS  
EST IN CARNE. Idipsum non animis solùm versare vestris,  
&, quæ eò faciant, Scripturæ oracula, considerare; verùm etiam  
publicè eorundem interpretibus, cum singulari modestiâ, at-  
tentione q; operam dare: Deum in cætu fidelium mente &  
voce laudare, æternoq; PATRI, promisso in carnem FILIO, pro r-  
velatâ veritate, pro conservatâ hactenus apud nos Ecclesiâ, pro  
adseritis pietatis & sapientiæ studiis devotissimas agere gratias  
conveniet. Quin in rem porrò insignitè facturum sit, orare &  
vota concipere, uti calamitatibus, quibus pressi tot sumus an-  
nos, clementer idem ipse Deus mederi, communemq; Germanicæ REIP. navem è procelloso pelago, quo jactari identidem  
visa est, & hodie nùm subinde concutitur, in portum tandem  
deducere dignetur. Etiam *beneficentia* & *commiserationis* ne ob-  
liviscamini; ut quibus impensiùs, quam ullis sacrificiis, delecte-  
tut NUMEN. Quàm verò petulantia & intemperantia vos de-  
decet, ætatemq; vestram debilitat, tam procult utramq; habebi-  
tis. Deniq; in triumphos & jubila effusi canetis: Gloria in Altis-  
simis DEO, & in terris pax, & erga homines benivolentia. Ita  
enim commodissimè τὴν ἐργατικὴν εὐδοκίαν interpre-  
tatur videbimur.



orationem, quā res obscaena ceteroqui  
 genere dicendi alibi quoquē Scriptura S.  
 palatum nostrū quidem interpretatio. S.  
 tiā eorum, qui indicari rentur, Legisla  
 defensoribus & Professoribus non caritu  
 defuturos eos ē medio pedum ejus, in eā v  
 eniendos, uti REIP. judaicæ inyigilent,  
 LOH. De quo ipso tanquam alterā, & p  
 parte, compendio jam porrò sedet agere  
 inter judæos oppidō reperire sit paucos,  
 docuṇq; vocabulum interpreteris, aut ui  
 SIAM non intelligant. In paraphrasi On  
 SIAS, cuius sit regnum: In Jonathanis, R  
 solymitana, itidem REX MESSIAS. His p  
 sen & Prophetas, alios antiquitate vel au  
 Scriptores judæi nō habent. Consentiu  
 bini alii, Bechay, Raſcbi, Kimchi, Codex San  
 complura ante secula imperium omiae à  
 pridem MESSIAM venisse necesse est.  
 promittit sanctissimus Patriarcha, vent  
 quām auferatur SCEPTRUM, atque ad  
 judæis superstitionem fore REMP. Cet  
 imperium, & eversa RESP. & abolita omni  
 potestas atq; jurisdictio, anno demum sex  
 quam SCHILOH, terris his relictis, in co  
 um adscenderat. Lapsi itaq; inde eb exci  
 ni sexcenti & mille; spesq; vel ulla restitu  
 sio omnino decollavit. Nisi fors principa  
 Babyloniam hodienum judæi potiantur, ad  
 lum principem יְהוָה שֶׁמֶן dictum, admis  
 quē multa magnisicē pomposēq; adfe  
 lensis Benjamin, Abramq; Zacuth in  
 inter nugas merito, anilesq; interfabula




Image Engineering Scan Reference Chart T203 Serial No. 076

imatur, quo  
 d non est ad  
 tiū senten  
 ris & quique  
 ribum, non  
 emperq; ini  
 niat SCHI  
 em oraculi  
 nè vel ipsos  
 u (quomo  
 rives) MES  
 uitur MES  
 AS: In Jero  
 præter Mo  
 ellentiores  
 quiq; Rab  
 Quūm itaq;  
 um sit, jam  
 prædictit &  
 SCHILOH,  
 MESSIAM  
 m verè est  
 judæorum  
 imo, post  
 Patrem su  
 t usq; an  
 ræ promis  
 Bagdad vel  
 adam Exu  
 De quo uti  
 ario Iude  
 obis certe  
 ter deliria,  
 quicquid